



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. 3. De objecto meriti tam condigni quàm congrui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

bile Deus nollet esse fidelis, & iustus, nondum desineret esse meritum a quo excellens, ut antè, adeoque condignum ut antè; & tamen tunc nulla jam esset ratio iustitiæ formalis meriti. Ergo apparet ex vi obligationis præcise non debere taxari rationem meriti de condigno. Hinc

EXPLICATUR Commodius meritum de condigno. Quod sit. Radix acceptationis & promissionis fundanda, idque ratione suæ excellentiæ intrinsecæ. Meritum autem de congruo, est actio quidem laudabilis, & nata habere collationem præmii, licet non habeat perfectam excellentiam, in ordine ad acceptari, adeoque non fundans exigentiam, licet ad hoc ut utatur Deus misericordiâ, & liberalitate præstet aliquam rationem. Unde jam in collatione bonorum, tripliciter se habere Deum, considerare possumus. *Imprimis*: tanquam conferentem ex mera omnino liberalitate. *Secundo*: ut conferentem quidem ex liberalitate, sed nonnisi ex positione alicujus actionis, quamvis non habentis perfectam excellentiam ad acceptari, & hoc erit meritum de congruo. *Denique* spectare possumus Deum tanquam conferentem quidem ex liberalitate, sed intuitu actionis, habentis tamen perfectam excellentiam radicalem, quæ mereatur acceptari, & hoc erit meritum de condigno.

RATIO explicationis est. Tam quia. Sicut Lutheranismus est agnoscere merita nostra, & iustitiam nonnisi imputatam; ita faveat illi dicere, merita nostra condigna esse nonnisi ex sola promissione divina. Ergo debet dari in ipsis meritis aliquid, quod est fundamentum illius acceptationis; & hoc fundamentum dicimus constitutivè meritum in ratione meriti de condigno.

RATIO 2. est. Quia hic modus explicandi adfert radicem primarii respectus, quem dicit meritum, hæc autem radix, ut dictum supra, non potest non esse primò distinctiva meriti, adeoque ejus definitiva.

RATIO 3. est. Quia hæc explicatio convenit omni soli & semper proceditque per prima.

DICES 1. Potest Deus non acceptare meritum de condigno. Ergo per illam radicem acceptationis non rectè explicatur meritum de condigno.

RESPONDETUR Negando Consequentiam. Quia quamvis possit non acceptare meritum de condigno, sufficit quod non possit facere ne habeat radicem acceptationis, consequenter radix acceptationis erit quid inseparabile à merito de condigno.

DICES 2. Poterat Deus facere ut meritum quod est de congruo vitæ æternæ, foret de condigno. Ergo apparet, quod non dicat quidquam in se meritum de condigno, quod non dicat meritum de congruo.

RESPONDETUR. Quod est meritum de congruo, ita tamen ut sit meritum in actu primò de condigno, potest facere, ut sit absolutè de cō-

digno, non potest autè facere, ut quod est meritum de congruo ex intrinseca ratione, & carens radice ad acceptari, evadat meritum de condigno.

INSTAT. Idem numero actus contritionis, si antecedit infusionem gratiæ, erit nonnisi meritum de congruo vitæ æternæ, si autem fiat in gratiæ, erit meritum de condigno. Ergo ratio illa, quæ est radix acceptationis, nulla datur.

RESPONDETUR. Etiam contritio ante infusionem gratiæ elicit, est meritum in actu primò condignum vitæ æternæ. Quod si quæras, per quid transeat meritum in actu primò, ad meritum in actu secundo, idque de condigno, dici potest, quod transeat se ipso, prout acceptato actus, & exercente jus illud quod habet, ut sit radix acceptationis?

DICES 3. Hanc explicationem non exhaustire difficultatem: quia ulterius quærendum restat, quænam sit illa radix acceptabilitatis.

RESPONDETUR. Rationale radicaliter acceptum bene explicat differentiam hominis, quamvis quærendum restet, quid sit illa radix. Sic & in presenti radix acceptabilitatis rectè explicabit, ratione meriti de condigno, licet quæri possit quid sit illa radix; & sicut radix rationalitatis nonnisi illustrari indiget per inductionem particularium, & explicationem terminorum; sic etiam radix acceptabilitatis illustrari non indiget nisi inductione eorum, quæ per revelationem constat esse merita de condigno.

INSTAT. Actus remissus non habet tantam excellentiam ad acceptari, quantam intensus, & tamen actus remissus interdum est meritum de condigno. Ergo non rectè explicatur, quid adhuc sit radix illa acceptationis.

RESPONDETUR. Non esse in actu remisso tantam radicem ad acceptari, quanta est in actu intenso gradualiter, licet substantialiter ratio condigni utrobique reperitur, ad eum modum, quo calor etiam remissus adhuc est calor. Cæterum tamen substantialem illam excessivitatem non possumus nominare, eo quod nobis ex principiis revelatis non sit nominata.

DIFFICULTAS III.

De Objecto Meriti tam condigni quam congrui.

Quod attinet ad Gratiæ & Gloriam.

ASSERO 1. Vitam æternam verè cadere in objectum meritorum nostrorum.

RATIO. Definitio Trid. Sess. 6. c. 16. & Can. 32. fundata in script.

ASSERO 2. Sub meritum cadere augmentum gratiæ.

RATIO. Definitio Trid. Sess. 6. c. 24. & 32.

ASSERO 3. Possè absolute dici, nos mereri condignè vitam æternam.

RATIO. Communis sensus Doctorum, quædratque acceptio meriti de condigno, imprimis illa

illa communissima, quæ requirit promissionem, vel obligationem; promittit autem Deus bene operantibus vitam æternam.

Quod attinet ad finalem Perseverantiam.

ASSERO 1. *Finalem perseverantiam non cadere in meritum de condigno.*

RATIO. Communis sensus Ecclesiæ de quo etiam vide S. Thom. Prima 2dæ. q. 104. a. 9. Notat tamen Ripalda d. 94. n. 3. quod non sit certum hoc esse de fide.

ASSERO 2. *Quod v. g. actus amoris in ordine ad hoc oblatum, sit meritum de condigno in actu primo.* RATIO, quia non est major excellentia gratiæ perseverantiæ, quam gratiæ visionis, & tamen meremur de condigno visionem.

ASSERO 3. *Possit nos de congruo mereri perseverantiam, ut docet Vasq. i. 2dæ. q. 114. in explicatione art. 9. pluresque refert. Ripalda d. 94. n. 7. referens se ad n. 1.*

RATIO inter alias, Auctoritas August. lib. 2. de Prædest. c. 6. *hoc ergo Dei donum scilicet perseverantia suppliciter emereri potest, sed cum datur, amitti non potest.*

ASSERO 4. *Finalem perseverantiam dupliciter spectari posse, vel pro causali, hoc est, auxilio speciali, quo posito finaliter perseveratur, vel formaliter pro ipso actu perseverandi. Omnesque vulgò perseverantiam pro formali accipiunt. Sed debere etiam pro causali sumi, vel hoc ipsum suadet, quia alias non esset principium supernaturale causans illam perseverantiam, si supponatur liberè perseverare.*

ASSERO 5. *Viramque perseverantiam non cadere in meritum de condigno.*

RATIO. Quia meritum semper tamen completur ultimò per acceptationem, nullibi autem habemus fundamentum in revelatione, quod actiones nostræ acceptentur ad meritum de condigno ad perseverandum, & hoc sensu dixit August. de bono Persev. cap. 13. *Perseverandi gratiam non secundum merita nostra dari, intellige, de condigno.*

Quod attinet ad primam gratiam iustificantem.

ASSERO 1. *Accipiendo nomine primæ gratiæ iustificantis primam illam gratiam, quæ est principium operandi aliquam actionem supernaturalem Deo gratam; in isto sensu; nemo dixerit illam posse cadere sub meritum.*

RATIO est. Quia ante illam primam gratiam deberet antecedere actio, in cuius præmium daretur illa prima gratia; aliàs non caderet prima gratia in meritum, quod est contra propositum oppositorum: hæc autem actio antecedens dari non potest: quæro enim, an illa actio sit naturalis, an supernaturalis. Si naturalis. Ergo Semi-Pelagianismum committis, dum censas donum

supernaturale cadere sub meritum naturale. Si autem illa actio est supernaturalis. Ergo præcedit ex gratia. Ergo ante illam primam gratiam præsupponitur prior gratia. Ergo illa prior non erat prima.

ASSERO 2. *Accipiendo primam gratiam iustificantem pro gratia quæ est qualitas permanens in infusa, & constitutiva in esse filiorum Dei; hanc primam sic sumptam gratiam possumus mereri de congruo, est assertum contra Capreol. Med. Socum.*

RATIO. Assertum est Auctoritas PP. & Conc. Aug. ep. 105. *Sed nec ipsa, inquit, remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum meritum est fidei; quæ fidei debet. Deus propitius esto mihi peccatori.* Trid. autem Sess. 14. cap. 4. *Fuit autem inquit, quoque tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius; & infra dicit, quod contritio, aliquando charitate perfectà hominem Deo conciliat, quæ impetratio non potest intelligi, quod sit per modum orationis: contritio enim non est oratio; & tamen contritioni tribuitur hæc impetratio.* Ergo impetrat per modum meriti, sed non per modum meriti de condigno. Ergo saltem per modum meriti de congruo.

DICES 1. Trid. Sess. 6. c. 8. inquit. *Gratiæ iustificari dicimur (ab Apostolo) quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue gratia ipsam iustificationis gratiam promeretur.*

RESPONDETUR. Agere Trid. Vel de fide naturali, vel de merito sine addito, hoc est de condigno, quod scilicet, posito etiam quod agatur de fide supernaturali, illa non sit meritum de condigno, in peccatore, ut iustificetur.

DICES 2. Quod datur ex meritis est per modum mercedis, prima autem gratia iustificans, non est per modum mercedis.

RESPONDETUR. Quod datur ex meritis de condigno, si quis factâ acceptatione completis habentibus æqualitatem proportionatam, illud datur per modum mercedis; secus si detur intuitu meritorum, non ita circumscriptorum.

DICES 3. Saltem contritio si sit ultima dispositio, de condigno merebitur iustificationem.

RESPONDETUR quod non. Quia ad meritum de condigno actuale requiritur ex communi sensu præsuppositio gratiæ iustificantis.

ASSERO 3. *Accipiendo primam gratiam pro resurrectione à mortali, in isto sensu, de condigno non meretur iustus resurrectionem, ratione recte positorum in gratia ante peccatum committitur positorum.*

RATIO. Quia mortali suspenduntur, & mortificantur, quoad omnem effectum, operi iusti; non enim est ratio, cur quoad unum suspendantur, & non quoad alium. Ergo etiam suspenduntur in ordine ad effectum consequentem de resurrectionis.